DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis undecimâ mensis Januarii, anno Domini M. DCC. LXXXVII.

M. FRANCISCO-HENRICO-THEODORO COZETTE, Doctore Medico, Præside.

An pleræque glandulæ, actione corpori viventi propriâ sanguinem mutando, suos generent humores.

I.

PASSIM in corpore humano diversæ naturæ reperiuntur humores, quos ibi varios ad fines sapiens natura dispensavit.

Serum tenue, pellucidum, globum oculi in sphæram distendit, luminique facilè permeabilem reddit. Lacrymalis latex, salsus, aquosus, corneæ faciem anteriorem continuo flumine alluens, irritantia corpuscula averrit obcœcantemque desiccationem prævertit. Mucus lentus, insipidus, ad naturam gummeam proximus, vias aereas, cibarias, urinarias &c, molli linimento obducens, exquisitam earum sensibilitatem & fovet & tuetur. Salivalis & pancreaticus succus, aquosus, subsaponaceus, alimenta diluit, eorumque incohatur solutionem, quæ bili, liquore subviridi, pungentem ingratum odorem spirante, amaro, alkalino, saponaceo resinoso, absolvitur. Sperma, quod sub inertis muci specie primum vitæ excitamentum recondit, in vesiculis suis moratur, donec tempestivâ emissione, destinata in loca vibretur. Fœtui è matris sinu recenter expulso, ubera ejus dulcis offerunt liquoris copiam, saccharo, oleo, lymphâ referti, ad vegetabilem naturam vergentis concoctricibusque illius accomodati viribus. Cerumen aurium, flavum, intensè amarum, resinosum, ex interiori ductûs auditorii facie exsudat. Sebo quodam olido, tenera balani nympharumque integumenta lubricantur. Passim cutis humorem ejusdem naturæ inolentem verò, in cryptis suis reclusum, eumdem habet ad usum. Liquor articularis, mucosus, unguinosus, lentus, extremis appositus ossibus, eorum mollit affrictus omnigenisque motibus favet. Adeps, quæ oleum est ferè concretum, in telæ cellulosæ loculis ubique diffusa, solidis flexilitatem, cuti albedinem, formis rotonditatem & elegan-

tiam conciliat. Lympha tenuior sanguinis, calore viribusque circulationis adacta, in corporis caveas undique depluens, organorum contentorum superficiem irrorat ne conferveant. Serum crudum saliaque hæterogenea quibus inficitur sanguis, ab ipso continuò segregantur, & sub citrei liquoris specie in vesicam manant. Pars tandèm quædam humorum actionibus vitæ attrita, in halitum tenuem resolvitur qui per cutis spiracula indefinenter exhalatur.

Humores illi diversi communem à sanguine originem ducunt. Quidam organum nullum habent generationi suæ specialiter à naturâ destinatum; adeps nempè, perspirationis materies, aquosus oculi latex, lympha cavitatum. Cæteri, propriis canalibus venarum modo coeuntibus, ex interioribus quibusdam vehuntur organis quæ glandulæ dicuntur; partes scilicet corporis molles, colore, formâ, mole, consistentiâ, texturâ admodum diversæ, omnigenis vasibus nervisque instructæ, quæ in infinitos numero surculos in earum substantiâ extenuantur donec oculi fugiant aciem. Particularum fabrica quæ carnem glandulæ propriam constituunt, quæ ultimos arteriarum & nervorum accipiunt fines, quæ nascentium canalium excretoriorum mittunt capillamenta, quæ tandem certe in causâ sunt cur ex mero cruore quem ministrabant arteriæ, novus nunc & longè diversus fluat liquor, fabrica uno verbo glandulæ propria nos latet semperque fortasse latebit.

I I.

NATURÆ scrutatores, in recessus obtusis sensibus invios, imaginationis acie penetrare tentaverunt.

Plerique, sanguinem omnibus dictis humoribus instructum in vasibus suis moveri supponentes, ipsorum tantummodò fieri secretionem statuerunt, illamque diversimodè finxerunt.

Multi rudibus analogiis decepti, huic operationi corporum non viventium mechanismum adaptaverunt. Hìc organa secretoria cribra sunt quorum pori figuræ determinatæ sibi accomodata corpuscula admittunt, cœtera excludunt. Ibi, cola fiunt humore secernendo à formatione embrionis impregnata, ejusdem naturæ liquorem attrahentia, aliis impervia. Modò homogeneæ particulæ mutuâ attractione in discedentem liquorem coeunt. Modo pars glandulæ solida moleculas attrahit quibuscùm densitate quodam modo convenit. Alibi, vasorum dispositione, primò supponitur sanguis organo secretorio ministrari majori refertus proportione fluidi separandi; tunc operosâ combinatione omnium quæ excogitari potuerunt mechanicarum conditionum, tum in potentiis moventibus, tum in particulis motis, sic illæ diriguntur moleculæ, ut solæ excretorios subeant canales.

Alia tandem hypothesis ingeniosior, & ad naturam, ut nobis videtur, propiùs accedens, totam rem à legibus sensibilitatis & irritabilitatis deducit; propriam nempè secernentibus cujusque glandulæ vasibus tribuit appetentiam, quâ duce determinati saporis particulas imbibunt, cœteras recusant.

In argumentis immorari, quibus debellari possunt singulæ illæ opiniones, tædiosum esset & inutile; unâ nimirùm observatione, communi earum everso fundamento, totum ex se corruit edificium. Quid etenim de illis fiet omnibus, si sanguis humores omnes secernendos non contineat? Jam verò, in illo sanè reperiuntur, lympha cavitatum, aquosus humor oculi, principia urinæ proxima, perspirationisque fortasse materies; quos quidem humores à sanguine solummodo secerni lubenter annuimus; nullum verò alium, neque saccharum aut butirum lactis, neque resinam bilis, neque mucum, neque semen, &c. sensibus offert.

2°. Tam abondans ſæpè fit quorumdam eorum, bilis, verbi gratiâ, lactis, muci evacuatio, ut impoſſibile ſit tantam copiam in ſanguine latitaſſe inconſpicuam 3°. Denique nullâ obſervatione ſatis certâ conſtat quòd omninò abolitâ actione glandularum humores de quibus agitur fundentium, major in ſanguine eorum reperta fuerit proportio, quod fieri debuiſſet, quin contra caſtrati mares ſemen non ſpirant. Ergo humores illi in ſanguine non præexiſtunt; ergo in organis ſuis non ſecernuntur, ergo in eis generantur, ſanguine ibidem proprietates quibus inſigniuntur acquirente.

III.

HANC veritatem perſpectam habebant fermentorum hypotheſeos auctores; aſt in modo quo rem peragi declaraverunt illos erraſſe demonſtrant ſibi diſſimiles humores in variis ætatibus, temperiebus, ſubjectique diſpoſitionibus; eorum aliena à liquoribus fermentatione generatis natura; deficientes tandem fermentationi requiſitæ conditiones.

Nihil in abſconditam metamorphoſeos illius cauſam anatomica inſpectio, nihil chemica, nihil phyſica corporum vitâ orbatorum phœnomena lucis refundunt; de hac itaque naturæ viventis operatione, (ut de multis aliis) proprias ejus leges obſervatione interrogemus, cum ipsâ ſedulò incedamus, cum ipsâ ſiſtamus; pauca ſcire ſatiùs ducentes, quam ſpecioſis erroribus allucinari.

Corpus mucoſum, commune vegetabilium & animalium alimentum, paucas, extrà eorum corpora, in qualitatibus ſuis ſenſibilibus patitur mutationes, ſive motibus inteſtinis qui ſpontè in ipſo excitantur, ſive corporum externorum actionibus. Quam multiplices contrà organicâ eorum actione induit formas!

Subſtantiarum animalium ſpontè putreſcentium effluvia ferè ſemper eadem reperiuntur; perſpirata autem materia peculiarem in ſingulis hominibus ſortitur alterationis modum, quem delicatus canis odoratus diſcernere novit.

Medicamenta pleraque quæ directè in humores agere non poſſunt, ſivè in ipſis non recipiantur, ſivè exiguâ nimis quantitate illis miſceantur; quorum ſola evidens operatio in motibus quibuſdam excitandis aut ſopiendis conſiſtit, notabiles tamen liquoribus animalibus alterationes inferunt.

Eodem modo exigua admodùm venenorum quorumdam portiuncula, in corpus humanum intromiſſa, ſubitam & univerſalem parit diſſolutionem.

Immanis iræ convulſionibus, in ſubtile mutatur venenum blanda ex ſe & innocua quorumdam animalium ſaliva.

Idem animi pathema ſæpè *bilis alteratæ* vomitum excitavit.

Vehementi denique animi commotione ſæpiùs fit, ut lac modò molle & reficiens infanti præbens alimentum, totum illius corpus perturbet.

IV.

HIS omnibus abundè profectò demonſtratur, corporis viventis liquorum mixtionem virium ejus motricium imperio ſubjici; illud ſcilicet tales in eos exercere poſſe actiones, ut novæ in eis oriantur qualitates.

Nil igitur mirum, quin imò obſervatis œconomiæ animalis legibus conſentaneum eſt, glandulis vim ineſſe ſanguinis dotes mutandi, ſicque alienæ ab ipſo indolis humoribus ortum præbendi.

Nullum certè de hac re ſupererit dubium, ſi attenderis quòd glandularum actione vigente, benè conſtituti & ad fines ſuos apprimè reſpondentes, labefactatâ, inertes, depravatâ, depravati, auctâ, copioſi, abolitâ, nulli gignantur humores.

Conſtat inſuper magnam in illis actionibus, quemadmodum & in mutationibus quæ inde in humoribus oriuntur eſſe poſſe diverſitatem; cuique porrò glandulæ ſuus eſt ſenſus, ſua elementorum propriorum fabrica, cur ſuus ipſi non eſſet & agendi modus, quo peculiarem fluido arterioſo inferret alterationem?

Nullæ dantur potentiæ ſive chymicæ, ſive mechanicæ, quibus tales tribuamus effectus, propriæ ſunt itaque corpori viventi. Quales ſint earum phyſicæ conditiones, parvi refert; propoſito noſtro ſatisfecimus ſi earum exiſtentiam & ultimos effectus in aperto poſuerimus.

V.

UT quæſtionem noſtram juſtis circumſcribamus limitibus, hîc annotare debemus quòd adipis quamvis in ſanguine non præexiſtentis idem non nobis videatur generationis modus. 1°. Etenim, nullum organum peculiare habet ſuæ formationi à naturâ deſtinatum. 2°. Lenta illius accumulatio, circumſtantiæ huic faventes aut obſtantes, ſuccus gelatinoſus ejus loca in immaturo fœtu, extremo ſenio & cachexiâ occupans, grumi adipoſi in medio illo ſucco matureſcente homunculo naſcentes, analogia tandem ſeminum emulſivorum quæ tota primò mucilaginea, ad oleoſam ſenſim naturam tranſeunt, ſatis demonſtrant illum ſucco nutritio redundanti natales ſuos debere, qui in loca compagis animalis inania propulſus, morâ, calore moderato, aquæ diſſipatione mutuâque fortaſſe principiorum reactione, hanc ſpontè patitur transformationem.

Fuſiùs itaque jam expoſita colligendo; ſi plerarumque glandularum humores ſanguis non continet; ſi corpori viventi in genere, ſpecialiterque humano, potentiæ inſunt nulli chemico aut mechanico agenti affines, quæ ſic liquores ejus mutare valent, ut novæ & diverſæ in ipſis oriantur qualitates; ſi aliunde mutationes in glanduloſi liquidi indole, mutationi quæ glandulæ actioni contingit reſpondent, cur non concludamus:

Ergo pleræque glandulæ, actione corpori viventi propriâ ſanguinem mutando, ſuos generant humores.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Philippus-Alex. BACHER.	*M. Benjaminus-Mich.* SOLIER DE LA ROMILLAIS, *utriuſque Pharmaciæ Profeſſor.*	*M. Guido* DANIÉ DESPATUREAUX.
M. Antonius-Laurentius DE JUSSIEU, *Eques, Regi à Conſiliis & Secretis, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, in Horto Regio Botanices Profeſſor & Prodemonſtrator.*	*M. Claudius* LAFISSE.	*M. Cleriadus* VACHIER.
M. Joannes-Jacobus NOLLAN.	*M. Joſ.-Ignatius* GUILLOTIN.	*M. Petrus Joſephus* MORISOT DESLANDES.

Proponebat Pariſiis, MARIA-ANTONIUS PETIT, Sueſſionæus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, Theſeos Autor.

A. R. S. H. 1787 AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Typographi.